



Dominica i. Adventus.

STATIO AD S. MARIAM MAJOREM.

Ad Missam.

Introitus. *Psalm. 24.*

De te levavi animam meam : Deus meus in te confido, non erubescam : neque irideant me inimici mei : etenim universi, qui te expectant, non confundentur. *Ps. ibid.* Vias tuas Dñe demonstra mihi : et semitas tuas edoce me. *V.* Glória Patri, et Filio, et Spiritui sancto. Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

Quo finito repetitur *Ad te levavi*, usque ad *Psalm.*

¶ Hic modus repetendi Introitum servatur per totum annum.

Non dicitur *Glória in excelsis*, ab hac Dominica usque ad Nativitatem Domini, nisi in Festis.

Oremus. Excita quæsumus Dómine potentiam tuam, et veni : ut ab imminéntibus peccatorum nostrórum periculis, te mereámur protegente eripi, te liberante salvári. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus : per omnia sæcula sæculórum. *R.* Amen.

¶ Ab hac die usque ad Vigil. Nativ. Domini, post Orationem diei dicitur Oratio ut infra, *Deus, qui de beatæ Mariæ, et Ecclesiæ tuæ, vel Deus omnium fidelium,* p. 133.

¶ Si autem facienda sit Commem. alicujus Festi oc-

currentis, post Orationem dei dicitur secunda. Oratio de Sancto, et tertia de S. Maria.

De S. Maria.

Oratio. Deus, qui de beatæ Mariæ Virginis útero, Verbum tuum, Angelo nuntiante, carnem suscipere voluisti: præsta supplicibus tuis; ut qui vere eam genitricem Dei credimus, ejus apud te intercessionibus adjuvemur. (Per eundem. si dicatur ultimo loco.)

¶ Infra hebdomadas Adventus, quando dicitur Missa de Festo semid., secunda Oratio erit de Adventu, tertia de S. Maria, quæ terminatur sic: *Per eundem Dominum nostrum, etc.*

¶ Si autem dicatur Missa de Festo dupl., post Orationem Festi dicitur Oratio tantum de Adventu.

¶ De Festis simplicibus in Adventu occurrentibus fit tantum Commemoratio.

Lectio Epistolæ beati Pauli Apóst. ad Rom. 13.

Patres: Sciéntes: quia hora est jam nos de somno surgere. Nunc enim propior est nostra salus, quam cum credidimus. Nox præcessit, dies autem appropinquavit. Abjiciamus ergo ópera tenebrarum, et induamur arma lucis. Sicut in die honeste ambulemus: non in commensationibus, et ebrietatibus, non in cubilibus, et impudiciis,

non in contentione, et emulatione: sed induimini Dominum Jesum Christum.

Graduale. Ps. 24. Universi, qui te expectant, non confundentur Dñe. V. Vias tuas Dñe notas fac mihi: et semitas tuas edoce me.—Allelúia, allelúia. V. Ps. 84. Ostendebis Dñe misericordiam tuam: et salutarem tuam da nobis. Allelúia.

¶ In Feriis Adventus, quando per hebdomadam resumitur Missa de Dominica, non dicitur *Allelúia*, nec V. sequens, sed tantum Graduale.

Seq. sancti Evangelii secundum Lucam. 21.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Erunt signa in sole, et luna, et in terris pressura gentium præ confusione sonitus maris, et fluctuum: arescentibus hominibus præ timore, et expectatione, quæ supervenient universo orbi: nam virtutes cælorum movebuntur: et tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magna, et majestate. His autem fieri incipientibus, respicite, et levate capita vestra: quoniam appropinquat redemptio vestra. Et dixit illis si-

militudinem: Videte ficulneam, et omnes arbores: cum producant jam ex se fructum, scitis quonia prope est æstas. Ita et vos cum vidéritis hæc fieri, scitote quonia prope est regnum Dei. Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant. Cælum, et terra transibunt: verba autem mea non transibunt.

Et dicitur *Credo.*

Effertorium. Ps. 24. Ad te levavi animam meam: Deus meus in te confido, non erubescam: neque irideant me inimici mei: etenim universi, qui te expectant, non confundentur.

Secreta. Hæc sacra nos Domine potèti virtute mundatos, ad suum faciant puriores venire principium. Per Dominum nostrum.

De S. Maria.

Secreta. In mentibus nostris quæsumus Dñe veræ fidei sacramenta confirma: ut qui conceptum de Virgine Deum verum et hominem confitemur; per ejus salutiferæ resurrectionis potentiam, ad æternam mereamur pervenire latitiam.

Si dicatur ultimo loco, terminatur sic: *Per eundem Dominum.*

iii. Secr., vel *Protege*, vel *Oblatis*, p. [59].

Communitio. Ps. 84. Dñs dabit benignitatem: et terra nostra dabit fructum suum.

Postcommunio. Suscipiamus Domine misericordiam tuam in medio templi tui: ut reparationis nostræ ventura solènnia congruis honoribus præcedamus. Per Dominum nostrum.

De S. Maria.

Postcommunio. Grátiam tuam quæsumus Domine mentibus nostris infunde: ut qui, Angelo nuntiante, Christi Filii tui incarnationem cognovimus; per passionem ejus et crucem, ad resurrectionis glóriam perducamur. (Per eundem. si ultimo loco.)

iii. Postcomm., vel *Quæsumus*, vel *Hæc nos*, p. [59]. Dicitur *Benedicamus Domino*. Et sic servetur, quoties non dicitur *Gloria in excelsis Deo*.

¶ Infra hebdom., si dicenda sit Missa de Feria, resumitur Missa de Dominica præced., nisi propria Missa assignetur.

¶ Cum vero in Adventu, Quadrag., Quatuor Temp., Vigiliis, et Rogat. dicitur Missa de Festo dupli, vel semid. occurrente, semper fit Commem. de Feria. Et pro Commem. Feriarum Adventus dicitur Oratio Dominice præcedentis, nisi sint Quatuor Tempora, in quibus habetur Oratio propria.

Dominica ii. Adventus.

STATIO AD S. CRUCEM IN JERUSALEM.

Introitus. *Isaia 30.*



Opulus Sion, ecce Dñs veniet ad salvandas gentes : et auditam faciet Dñs glóriam vocis suæ in lætitia cordis vestri. *Ps. 79.* Qui regis Israel, intēde : qui dedicis velut ovem Joseph. *V. Glória.*

Non dicitur Glória in excelsis.

Oratio. Excita Dómine corda nostra ad præparandas Unigéniti tui vias : ut per ejus adventum purificatis tibi mentibus servire mereamur : Qui tecum vivit.

Alia Orat., ut in Dominica præcedenti, p. 1.

Léct. *Epistolæ B. Pauli Apóst. ad Romános. 15.*

Fratres : Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt : ut per patientiam, et consolationem Scripturarum, spem habeamus. Deus autem patientiæ et solatii det vobis idipsum sc̄pere in altérutrum secūndum Jesum Christum : ut unánimes, uno ore honorificétis Deum, et Patrem Dómini nostri Jesu Christi. Propter quod suscipite invicem, sicut et Christus suscepit vos in honórem Dei. Dico enim

Christum Jesum ministrum fuisse circumcisiónis propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones patrum : gentes autem super misericórdia honorare Deum, sicut scriptum est : Propterea confitebor tibi in gentibus Dómine, et nómini tuo cantabo. Et iterum dicit : Lætámini gentes cum plebe ejus. Et iterum : Laudáte omnes gentes Dóminum : et magnificáte eum omnes pópuli. Et rursus *Isaia* ait : Erit radix Jesse, et qui exsurget régere gentes, in eum gentes sperábunt. Deus autem spei répleat vos omni gáudio, et pace in credēdo : ut abundétis in spe, et virtúte Spiritus sancti.

Graduale. *Ps. 49.* Ex Sion sp̄cies decóris ejus : Deus manifeste veniet. *V.* Congregáte illi sanctos ejus, qui ordinavérunt testamētum ejus super sacrificia. — *Allel. Allel. V. Ps. 121.* Lætátus sum in his, quæ dicta sunt mihi : in domum Dñi ibimus. *Allel. Seq. sancti Evangelii secūndum Matthæum. 11.*

In illo tēpore : Cum audisset Joánes in vinculis ópera Christi,

Dominica iii. Adventus.

5

mittens duos de discipulis suis, ait illi : Tu es, qui venturus es, an allium expectámus? Et respondens Jesus ait illis : Eúntes renuntiáte Joánni quæ audistis, et vidistis. Cæci vident, claudi ámbulant, leprosi mundántur, surdi audiunt, mórtui resúrgunt, páuperes evangelizántur : et beátus est, qui non fuerit scandalizátus in me. Illis autem abeúntibus, cœpit Jesus dicere ad turbas de Joánnē : Quid existis in desértum videre? arúndinēp veneto agitátam? Sed quid existis videre? hóminem móllibus vestitum? Ecce qui móllibus vestiúntur, in dómibus regum sũnt. Sed quid existis videre? prophétam? Etiam dico vobis, et plus quam prophétam. Hic est enim, de quo scriptum est : Ecce ego mitto ángelum meum ante faciē tuam, qui præparábit viam tuam ante te. Credo.

Offertorium. *Psalm. 84.* Deus tu convérstus vivificás nos, et plebs tua lætábitur in te : ostēde nobis Dómine misericórdiam tuam, et salutáre tuum da nobis.

Sereta. Placáre quæsumus Dómine humilitátis nostræ precibus, et hóstitis : et tibi nulla súppētunt suffrágia meritórum, tuis nobis succúrre præsidiiis. Per Dóminum nostrum.

Alia Sereta, ut in Dominica præcedenti, p. 3.

Communio. *Baruch 4. et 5.* Jérusalem surge, et sta in excéso : et vide jucunditatem, quæ veniet tibi a Deo tuo.

Postcommunio. Repléti cibo spiriúalis aliménia, súpplices te Dómine deprecámur : ut hujus participatióne mystérii, dóceas nos terréna despiciere, et amare cælestia. Per Dóminum nostrum.

Alia Postcomm., ut in Dominica præcedenti, p. 3.

Dominica iii. Adventus.

STATIO AD S. PETRUM.



Introitus. *Philipp. 4.* Audéte in Dómino semper : iterum dico gaudéte. *Módestia vestra nota sit*

ómnibus hominibus : Dóminus enim prope est. Nihil solliciti sitis : sed in omni oratióne petitióne vestræ innotéscant apud Deum. *Ps. 84.* Be-

nedixisti Dómine terram tuam : avertisti captivitatem Jacob. *V. Glória.*

Non dic Glória in excelsis.

Oratio. Aurem tuam quasumus Dómine precibus nostris accommoda : et mentis nostræ tenebras, grátia tuæ visitationis illústra : Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti, etc.

Aliae Orat., ut in Domin. j. Adventus, p. 1.

Lect. Epistolæ B. Pauli Ap. ad Philippenses. 4.

Fratres : Gaudete in Dómino semper : iterum dico gaudete. Modestia vestra nota sit omnibus hominibus : Dñs prope est. Nihil solliciti sitis : sed in omni oratione, et obsecratione, cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud Deum. Et pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, et intelligentias vestras : in Christo Jesu Dño nostro.

Graduale. Ps. 79. Qui sedes Dñe super Cherubim, excita potentiam tuam, et veni. *V.* Qui regis Israel, intende : qui deducis velut ovem Joseph. — Alleluia, allel. *V.* Excita Dñe potentiam tuam, et veni, ut salvos facias nos. Allel.

Seq. sancti Evangelii secundum Joannem. 1.

In illo tempore : Misérunt Judæi ab Hierosolymis sacerdotes et levitas ad Joannem, ut interrogarent eum : Tu quis es? Et confessus est, et non negavit : et confessus est : Quia non sum ego Christus. Et interrogaverunt eum : Quid ergo? Elias es tu? Et dixit : Non sum. Propheta es tu? Et respondit : Non. Dixerunt ergo ei : Quis es ut responsum demus his, qui miserunt nos? quid dicis de teipso? Ait : Ego vox clamantis in deserto : Dirigite viam Dómini, sicut dixit Isaias propheta. Et qui missi fuerant, erant ex Pharisæis. Et dixerunt ei : Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque Propheta? Respondit eis Joannes, dicens : Ego baptizo in aqua : medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis. Ipse est, qui post me venturus est, qui ante me factus est : cuius ego non sum dignus ut solvam ejus corrigiam calceamenti. Hæc in Bethania facta sunt trans Jordânem, ubi erat Joannes baptizans. Credo.

Offertorium. Psalm. 84. Benedixisti Dñe terram tuam : avertisti captivitatem Jacob : remisisti iniquitatem plebis tuæ.

Secreta. Devotionis nostræ tibi quasumus Dómine hostia júgiter imolétur : quæ et sacri péragat instituta mysterii, et salutare tuum in nobis mirabiliter operétur. Per Dóminum.

Aliae Secreta, ut in Domin. j. Adventus, p. 3.

Communio. Is. 35. Dicite : Pusillanimes confortamini, et nolite timere : ecce Deus noster veniet, et salvabit nos.

Postcommunio. Imploramus Dómine clementiam tuam : ut hæc divina subsidia, a vitiis expiatis, ad festa ventura nos præparent. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

Aliae Postcomm., ut in Domin. j. Adventus, p. 3.

Feria iv. Quatuor Temp. Advent.

STATIO AD S. MARIAM MAJOREM.

Introitus Rorhæ, ut in Domin. IV. p. 14.

Post *Kyrie eleison* immediate dicitur *Oramus Flectamus genua. R. Levate.*

Oratio. Præsta quesumus omnipotens Deus : ut redemptionis nostræ ventura sollemnitas, et præsentis nobis vitæ subsidia cónferat, et æternæ beatitudinis præmia largiatur. Per Dóminum nostrum.

Lectio Isaiæ Proph. 2.

In diebus illis : Dixit Isaias propheta : Erit in novissimis diebus preparatus mons domus Dómini in vértice móntium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes. Et ibunt pópuli multi, et dicent : Venite et

ascendamus ad montem Dómini, et ad domum Dei Jacob, et docébit nos vias suas, et ambulabimus in semitis ejus : quia de Sion exiit lex, et verbum Dómini de Jérusalem. Et judicabit gentes, et arguet pópulos multos : et confabunt gládios suos in vómeres, et lanceas suas in falces : non levabit gens contra gentem gládium, nec exercebuntur ultra ad prolium. Domus Jacob venite, et ambulémus in lúmine Dñi Dei nostri. **Graduale. Ps. 23.** Tollite portas principes vestras : et elevámini portæ æternales : et introibit Rex glóriæ. *V.* Quis ascendet in montem Dñi? aut

8 FERIA VI. QUATUOR TEMP. ADVENT.

quis stabit in loco sancto ejus? Innocens manibus et mundo corde.

Hic dicitur *7. Dominus vobiscum, sine Flectamus genua.*

Oratio. Festina, quæsumus Dñe, ne tardaveris : et auxilium nobis supernæ virtutis impende; ut adventus tui consolationibus subleventur, qui in tua pietate confidunt : Qui vivis et regnas cum Deo Patre.

Alia: Orat., ut in Dom. j. Adventus, p. 1.

Epist. Locutus est Dominus ad Achaz, et Evang. Missus est Angelus, ut in festo Annuntiat., 25. Mart.

Graduale. Ps. 144. Prope est Dñus omnibus invocantibus eum, omnibus qui invocant eum in veritate. *V. Laudem Dñi loquetur os meum: et benedicat omnis caro nomen sanctum ejus.*

Offertorium. Isaie 35. Confortamini, et jam nolite timere: ecce enim Deus noster retribuet iudicium: ipse veniet, et salvos nos faciet.

Secreta. Accepta tibi sint quæsumus Dòmine nostra jejùnia: quæ et expiando nos tua gràtia dignos efficiant, et ad sempiterna promissa perducant. Per Dñum.

Alia: Secreta, ut in Dom. j. Adventus, p. 3.

Communio. Isaie 7. Ecce Virgo concipiet, et pariet filium: et vocabitur nomen ejus Emmà-nuel.

Postcommunio. Salutaris tui Dòmine munere satiati: supplices deprecamur; ut cujus lætàmur gustu, renovemur effectu. Per Dòminum.

Alia: Postcomm., ut in Dom. j. Adventus, p. 3.

FERIA VI. QUATUOR TEMP. ADVENT.

STATIO AD SS. DUODECIM APOSTOLOS.

Introitus. Ps. 118.



Rope es tu Dòmine, et omnes viæ tuæ veritas: initio cognovi de testimoniis tuis, quia in ætèrnum tu es. *Psalmus ibid.* Beati immaculati in via: qui ambulat in lege Dòmini. *V. Glória.*

Oratio. Excita quæsumus Dòmine potentiam tuam, et veni: ut hi, qui in tua pietate confidunt, ab omni citius adversitate liberentur. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus.

Alia: Orationes, ut in Dom. j. Adventus, p. 1.

SABBATO QUATUOR TEMP. ADVENT. 9

Lectio Isaie Proph. 11.

Hæc dicit Dòminus Deus: Egrediètur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet. Et requiescet super eum spiritus Dòmini: spiritus sapièntiæ, et intellèctus, spiritus consilii, et fortitudinis, spiritus scientiæ, et pietatis, et replèbit eum spiritus timoris Dòmini: non secùndum visionem oculòrum judicabit, neque secùndum auditum auris arguet: sed judicabit in justitia pàuperes, et arguet in æquitate per mansuetis terræ: et percùtiet terram virga oris sui, et spiritu labiòrum suòrum interficiet impiù. Et erit justitia cingulum lumbòrum ejus: et fides cinctòrium renum ejus. **Graduale. Ps. 84.** Ostende nobis Dòmine misericordiam tuam: et salutare tuum da nobis. *V. Benedixisti Dòmine terram tuam: avertisti captivitatem Jacob.*

Evang. Exsurgens Maria, ut in festo Visitat. 2. Jul.

Offertorium. Psalm. 84. Deus tu conversus vivificabit nos, et plebs tua lætabitur in te: ostende nobis Dòmine misericordiam tuam, et salutare tuum da nobis.

Secreta. Muneribus nostris quæsumus Dòmine precibusque susceptis: et cælèstibus nos munda mysteriis, et clemènter exaudi. Per Dòminum nostrum.

Alia: Secreta, ut in Dom. j. Adventus, p. 3.

Communio. Zachar. 14. Ecce Dòminus veniet, et omnes sancti ejus cum eo: et erit in die illa lux magna.

Postcommunio. Tui nos Dòmine sacramenti libatò sancta restàure: et a vetustate purgatos in mysterii salutàris faciat transire consòrtium. Per Dòminum.

Alia: Postcomm., ut in Dom. j. Adventus, p. 3.

SABBATO QUATUOR TEMP. ADVENT.

STATIO AD S. PETRUM.

Introitus. Ps. 79.



Eni, et ostende nobis facièm tuam Dòmine, qui sedes super Chèrubic: et salverimus. *Ps. ibid.* Qui re-

gis Israel, intènde: qui deducis velut ovem Joseph. *V. Glória Patri et Filio.*

Post Kyrie elèison dicitur Oròminus. Flectamus genua R. Levàte.

Oratio Deus qui cōspicis, quia ex nostra pravitāte affligimur : concede propitiū ; ut ex tua visitatiōne consolēmur : Qui vivis.

Lect. Isaiaē Proph. 19.
In diebus illis : Clamābunt ad Dōminum a faciē tribulantis, et mittet eis salvatōrem et propugnātorem, qui liberet eos. Et cognoscēt Dōminus ab Ægypto, et cognoscēt Ægypti Dōminum in die illa, et colent eum in hōstiis et in muneribus : et vota vovēbunt Dōmino, et solvent. Et percūtiēt Dōminus Ægyptum plaga, et sanābit eam, et revertētur ad Dōminum, et placābitur eis, et sanābit eos Dōminus Deus noster.

Graduale. Ps. 18. A summo cælo egressio ejus : et occūrsus ejus usque ad summum ejus. **V.** Cæli enārrant glōriam Dei : et ōpera mānum ejus annūntiāt firmamētū.

Orémus. Flectāmus gēnuā. **X.** Levāte.

Oratio. Concede quæsumus omnipotens Deus : ut qui sub peccāti jugo, ex vetūsta servitūte depri-mimur : expectāta unigēniti Filii tui nova nativitate liberemur. Qui tecum vivit.

Lectio Isaiaē Proph. 35.

Hæc dicit Dōminus : Lætābitur deserta et in via, et exsultābit solitūdo, et florēbit quasi liliū. Germīnans germīnābit, et exsultābit lætābōnda et laudans : glōria Libāni data est ei : decor Carmēli, et Saron, ipsi vidēbunt glōriam Dōmini, et decōrem Dei nostri. Confortāte manus dissolūtas, et gēnuā debilia roborāte. Dicitē pusillānīm : Confortāmini, et nolite timēre : ecce Deus vester ultionē addūcet retributiōnis : Deus ipse veniet, et salvābit vos. Tunc aperiētur ōculi cæcorū, et aures surdōrum patēbunt. Tunc sālīet sicut cervus claudus, et apēta erit lingua mutōrum : quia scissæ sunt in deserto aquæ, et torrēntes in solitūdine. Et quæ erāt arida, erit in stagnum, et sitiens in fontes aquārum : ait Dōminus omnipotens.

Graduale. Psalm. 18. In sole pōsūt tabernāculum suum : et ipse tamquam sponsus procedens de thālam suo. **V.** A summo cælo egressio ejus : et occūrsus ejus usque ad summum ejus.

Orémus. Flectāmus gēnuā. **X.** Levāte.

Oratio. Indignos nos quæsumus Dñe famulos tuos, quos actiōnis propriæ culpa contristat, unigēniti Filii tui adventū lætifica. Qui tecum.

Lectio Isaiaē Proph. 40.

Hæc dicit Dōminus : Super montem excelsū ascēnde tu, qui evangelizas Sion : exalta in fortitūdine vocem tuam, qui evangelizas Jerūsalem : exalta, noli timēre. Dic civitatibus Juda : ecce Deus vester : ecce Dōminus Deus in fortitūdine veniet, et brāchium ejus dominābitur : ecce merces ejus cum eo, et opus illius coram illo. Sicut pastor gregem suum pascet : in brāchio suo congregābit agnos, et in sinu suo levābit, Dōminus Deus noster.

Graduale. Ps. 70. Dōmine Deus virtūtum convertē nos : et ostēde faciē tuam, et salvi erīmus. **V.** Excita Dōmine potēntiam tuam, et veni : ut salvos faciās nos.

Orémus. Flectāmus gēnuā. **X.** Levāte.

Oratio. Præsta quæsumus omnipotens Deus : ut Filii tui ventūra solēmnitas, et præsēntis nobis vitæ remēdia cōferat, et præmia æternā concedat. Per eūdem.

Lectio Isaiaē Proph. 45.

Hæc dicit Dōminus christo meo Cyro, cuius apprehēndi dēxteram, ut subjiciam ante faciē ejus gentes, et dorsa regum vertam, et aperiām coram eo jānuas, et portæ non claudētur. Ego ante te ibo : et gloriōsus terræ humiliābo : portas aereas cōnterā, et vectēs fēreos confringam. Et dabo tibi thesāuros absconditos, et arcāna secretōrum : ut scias quia ego Dōminus, qui voco nomen tuum, Deus Israel. Propter servum meum Jacob, et Israel electum meum, et vocāvi te nōmine tuo : assimilāvi te, Ego Dōminus, et non est cognovisti me. Ego Dōminus, et non est amplius : extra me non est Deus : accinxi te, et non cognovisti me : ut sciant hī, qui ab ortu solis, et qui ab occidentē, quōniam absque me non est : Ego Dñus, et non est alter, formans lucem, et creans tēnebras, faciēns pacem, et creans malum : ego Dōminus faciēns omnia hæc. Rorāte cæli desuper, et nubes pluant justum : aperiātur terra, et germīnet Salvatōrem : et justitia oriātur simul : ego Dōminus creāvī eum.

Graduale. *Ps. 79.* Excita Dómine poténtiã tuam, et veni, ut salvos facias nos. *V.* Qui regis Israel, inténde : qui dedúcis velut ovem Joseph : qui sedes super Chérubim, appáre coram Ephraim, Bénjámin, et Manásse.

Orémus. Flectámus génua. *R.* Leváte.

Oratio. Preces pópuli tui quæsumus Dómine cleménter exáudi: ut qui juste pro peccátis nostris affligimur, pietátis tuæ visitatióne consolémur : Qui vivis et regnas.

Léct. Danielis Proph. 3.

IN diebus illis : Angelus Dómini descéndit cum Azaria, et sóciis ejus, in fornacem : et excíssit flammam ignis de fornáce, et fecit médium fornácis quasi ventum roris flantem. Flamma autem effundebátur super fornacem cúbitis quadraginta novem : et erúpit, et incéndit quos réperit juxta fornacem de Chaldaeis ministros regis, qui eam incéndebant. Et non tétigit eos omnino ignis, neque contristávit, nec quidquam moléstie infulit. Tunc hi tres quasi ex uno ore laudábant, et glorificábant, et benedicébant Deum in fornáce, dicéntes :

Hic non respondetur *Deo grátias.*

Hymnus. *Dan. Ibid.*

Benedíctus es Dómine Deus patrum nostrórum. Et laudábilis et gloriósius in sæcula.

Et benedíctum nomen glóriæ tuæ, quod est sanctum. Et laudábile et gloriósum in sæcula.

Benedíctus es in templo sancto glóriæ tuæ. Et laudábilis et gloriósius in sæcula.

Benedíctus es super thronum sanctum regni tui. Et laudábilis et gloriósius in sæcula.

Benedíctus es super sceptrum divinitátis tuæ. Et laudábilis et gloriósius in sæcula.

Benedíctus es qui sedes super Chérubim, intuens abyssos. Et laudábilis et gloriósius in sæcula.

Benedíctus es qui ámbulas super pennas ventórum, et super undas maris. Et laudábilis et gloriósius in sæcula.

Benedicant te omnes Angeli, et Sancti tui. Et laudent te, et glorificent in sæcula.

Benedicant te cæli, terra, mare, et omnia quæ in eis sunt. Et laudent te, et glorificent in sæcula.

Glória Patri, et Filio, et Spiritui sancto. Et laudábilis et gloriósius in sæcula.

Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculórum. Am. Et laudábilis et gloriósius in sæcula.

Benedíctus es Dómine Deus patrum nostrórum. Et laudábilis et gloriósius in sæcula.

Hic dicitur *Dóminus vobiscum*, sine *Flectámus génua.*

Oratio. Deus, qui tribus pferis mitigásti flammam ignium : concede propitiuss; ut nos fámulos tuos non exérat flamma vitiórum. Per Dóminum nostrum.

Aliæ Oratíones, ut in Dominica j. Adventus, p. 1.

Léctio Epistolæ beati Pauli Apóstoli ad Thessalonicénses. 2. *Thess. 2.*

Erratres : Rogámus vos per advéntum Dómini nostri Jesu Christi, et nostræ congregatiónis in ipsum : ut non cito movéamini a vestro sensu, neque terredámini, neque per spiritum, neque per epistolam tamquam per nos missam, quasi instet dies Dómini. Ne quis vos sedúcat ullo modo : quóniam nisi vénerit discéssio primum, et revelátus fuerit homo peccáti, filius perditionis, et extóllitur supra omne, quod dicitur Deus, aut

quod cólitur, ita ut in templo Dei sédeat osténdens se tamquam sit Deus. Non retinétis, quod cum adhuc essem apud vos, hæc dicebam vobis? Et nunc quid detineat scitis, ut revelétur in suo tẽmpore. Nam mystérium jam operátur iniquitátis : tantum ut qui tenet nunc, teneat, donec de médio fiat. Et tunc revelábitur ille iniquus, quem Dóminus Jesus interficiet spiritu oris sui, et déstruet illustratione advéntus sui.

Tractus. *Psal. 79.* Qui regis Israel, inténde : qui dedúcis velut ovem Joseph. *V.* Qui sedes super Chérubim, appáre coram Ephraim, Bénjámin, et Manásse. *V.* Excita Dómine poténtiam tuam, et veni, ut salvos facias nos.

Evangelium *Anno quinquodécimo*, ut in Missa Dominicæ iv. Adventus, p. 14.

Offertorium. *Zachar. 9.* Exsulta satis filia Sion, prædica filia Jerúsalem : ecce Rex tuus venit tibi Sanctus, et Salvátor.

Secreta. Sacrificiis præsentibus quæsumus Dómine placátus inténde : ut et devotióni nostræ proficiant, et salúti. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut in Dominica j. Adventus, p. 3.

Communio. *Ps. 18.* Exsultavit ut gigas ad currendam viam : a summo caelo egressio ejus, et occursus ejus usque ad summum ejus.

Postcommunio. Quæsumus Dñe Deus noster :

ut sacrosáncta mysteria, quæ pro reparatiónis nostræ munimine contulisti; et præsens nobis remédium esse facias, et futurum. Per Dñum.

Alie Postcommuniones, ut in Dom. j. Adventus, p. 3.

Dominica ib. Adventus.

STATIO AD SS. DUODECIM APOSTOLOS.

Introitus. *Isaia 45.*



Orate caeli desuper, et nubes pluant Justum : aperiatur terra, et germinet Salvatorem. *Ps. 138.* Cæli enarrant glóriam Dei : et ópera manuum ejus annúntiat firmaméntum.

V. Glória Patri.

Oratio. Excita quæsumus Dñe potentiam tuam, et veni : et magna nobis virtute succurre ; ut per auxilium grátie tuæ, quod nostra peccata præpédiunt, indulgéntia tuæ propitiatiónis accéleret : Qui vivis.

Alie Orat. ut in Domin. j. Adventus, p. 1.

Lectio Epistolæ. B. Pauli Apóstoli ad Corinth. *1. 4.*

Expositio. Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei. Hic jam quæritur inter dispensatores ut fideliis quis inventiatur. Mihi autem pro

minimo est ut a vobis júdicer, aut ab humáno die : sed neque me ipsum júdico. Nihil enim mihi cóncius sum : sed non in hoc justificátus sum : qui autem júdicat me, Dóminus est. Itaque nolite ante tempus júdicare, quoadúsque véniat Dñus : qui et illuminábit abscondita tenebrarum, et manifestábit consilia córdium : et tunc laus erit unicuique a Deo.

Graduale. *Ps. 144.* Prope est Dóminus ómnibus invocántibus eum : ómnibus qui invocant eum in veritate. **V.** Laudem Dñi loquétur os meum : et benedicat omnis caro nomen sanctum ejus. Allelúia, allelúia. **V.** Veni Dómine, et noli tardare : reláxa facinora plebi tue Israel. Allelúia. **Seq. sancti Evangelii secundum Lucam. 3.**

Anno quintodécimo imperii Tiberii Cæsaris, procurántem Póntio

In Vigilia Nativitatis Domini. 15

Pilato Judæam, tetrarcha autem Galilææ Heróde, Philippo autem fratre ejus tetrarcha Ituræ, et Trachonitidis regiõnis, et Lysánia Abilinae tetrarcha, sub principibus sacerdotum Anna et Cáipha : factum est verbum Dñi super Joánnem, Zachariæ filium, in deserto. Et venit in omnem regiõnem Jordánis, prædicans baptismum poeniténtiæ in remissionem peccatorum, sicut scriptum est in libro sermónum Isaiae Prophète : Vox clamantis in deserto : Parate viam Dómini : rectas facite semitas ejus : omnis vallis implebitur : et omnis mons, et collis humiliábitur : et erunt prava in directa : et áspera in vias planas : et videbit omnis caro salutáre Dei. Credo.

Offertorium. *Luca 1.* Ave Maria grátia plena,

Dóminus tecum : Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui.

Secreta. Sacrificiis præsentibus quæsumus Dómine placátus inténde : ut et devotiõni nostræ proficiat, et salutí. Per Dóminum nostrum.

Alie Secretæ, ut in Dominica j. Adventus, p. 3.

Communio. *Isaia 7.* Ecce virgo concipiet, et páriet filium : et vocabitur nomen ejus Emmánuel.

Postcommunio. Sumptis munéribus quæsumus Dómine : ut cum frequentatiõne mysterii, crescat nostræ salutis effectus. Per Dóminum nostrum.

Alie Postcomm. ut in Dominica j. Adventus, p. 3.

¶ Si Vigilia Nativitatis Domini venerit in Dominica, totum Officium Missæ fit de Vigilia, cum Commemoratione Dominicæ, sed non legitur ejus Evangelium in fine.

In Vigilia Nativitatis Domini.

STATIO AD S. MARIAM MAJOREM.

Introitus. *Exodi 16.*



Odie scietis, quia véniet Dóminus, et salvábit nos : et mane videbitis glóriam ejus. *Ps. 23.* Dómini est terra, et plenitúdo ejus : orbis terrarum, et uni-

vérsti qui hábitant in eo. **V.** Glória Patri.

Oratio. Deus, qui nos redemptionis nostræ ánnua expectatiõne lætificas : præsta ; ut Unigénitum tuum, quem Redemptorem læti suscipimus, venientem quoque

júdicem securi videámus, Dóminum nostrum Jesum Christum Filium tuum : Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus : per omnia sæcula sæculórum. Amen.

Et dicitur hæc Oratio tantum, nisi Vigilia venerit in Dominica.

Lect. *Epistolæ* B. Pauli Apóstoli ad Romános. *1.*

Paulus, servus Jesu Christi, vocátus Apóstolus, segregátus in Evángelium Dei, quod ante promiserat per Prophétas suos in Scriptúris sanctis de Filio suo, qui factus est ei ex sémine David secúndum carnem, qui prædestinátus est Filius Dei in virtúte secúndum spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuórum Jesu Christi Dómini nostri : per quem accépmus grátiam, et apostolátum ad obediéndum fidei in ómnibus géntibus pro nómine ejus, in quibus estis et vos vocáti Jesu Christi Dómini nostri.

Grabuáte. *Exodi 16.* Hódie sciétis, quia véniet Dñus, et salvábit nos : et mane videbitis glóriam ejus. *Ps. 79.* Qui regis Israel, inténde : qui dedúcis velut ovem Joseph : qui sedes super Chérubim, appáre coram

Ephraim, Bénjamin et Manásse.

Nondicitur *Alleluia*, cum sequentí *V.*, nisi hæc Vigilia venerit in Dominica.

Allel., allel. *V.* Crástina die delébitur iniquitas terræ : et regnábit super nos Salvátor mundi. All. *Seq. sancti Evangelii* secúndum Matthæum. *1.*

Cum esset desponsáta mater Jesu Maria Joseph, ántequam convenirent, invénta est in útero habens de Spiritu sancto. Joseph autem vir ejus cum esset justus, et nollet eam tradúcere : voluit occulte dimittere eam. Hæc autem eo cogitánte, ecce Angelus Dómini apparuit in somnisi ei, dicens : Joseph filii David, noli timére accipere Mariam cónjugem tuam : quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. Páriet autem filium : et vocábis nomen ejus Jesum : ipse enim salvum faciét pópulum suum a peccátis eórum.

Offertorium. *Ps. 23.* Tóllite portas príncipes vestras : et elevámini portæ æternáles, et introibit Rex glóriæ.

Sécréta. Da nobis quæsumus omnipotens Deus : ut sicut adoránda Filii tui natalitia præveni-

mus ; sic ejus múnera capiamus sempitérna gaudentes : Qui tecum vivit et regnat.

Prefatio communis : sed si venerit in Dominica, dicitur de SS. Trinitate.

Communio. *Isaia 40.* Revelábitur glória Dómini, et videbit omnis caro salutáre Dei nostri.

Postcommunio. Da nobis quæsumus Dómine,

unigéniti Filii tui recensita natiuitate respiráre : cujus cælesti mystério páscimur et potámur. Per eúdem Dóminum nostrum Jesum Christum Filium tuum.

¶ Sacerdos quoniam in die Natalis Domini celebrat tres Missas, in j. et ij. Missa non sumat purificationem, sed in iij. Missa tantum : et in j. et ij. abluit digitos in aliquo vase mundo.

